

TRACTATUS II. DE JURE PROPRIETATIS.

Materiam, purè Canonicam, excipit profana, seu potiùs adiphora, Clericis simul & Laicis, nec non Juribus spiritalibus & temporalibus accommodata. In hac Juridicæ disquisitionis lanci primitus appendo *Jus Proprietatis*, non quòd titulus aliquis de Jure Proprietatis extet in Libro III. Decretalium (extat siquidem in Lib. II. Tit. XII. de *Causa Possessionis & Proprietatis*, ad quem Interpretes plerumque præsens argumentum expendere solent) sed quòd Res & Jura Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, circa quæ *Jus Proprietatis* occupatum est, in eodem Libro, prout ex præcedenti tract. notum erit, proponantur; quòdve tota propemodùm Legalis scientia, Canonica & Civilis, ab illius exacta cognitione dependeat.

CAPUT I.

De Jure Proprietatis in genere.

Jus Proprietatis id sibi præ cæteris Juribus proprium habet, quòd, sive consideretur in genere, sive perpendatur in suis speciebus, cognitu perinde ac explicatu perquam difficile sit, prout commonstrant tam varia Doctorum, qui sedulam huic materiæ diligentiam præstârunt, scita & scripta. Aggrediar nihilominus difficultatem, & postquam prælo favente, Jus proprietatis in genere statim in primo Capite discussero, quòd ad illius species evolvendas transgrediar.

SECTIO I.

De Natura & Divisione Juris Proprietatis.

SUMMARI A.

1. Notatio Juris. 2. & seqq. Illius acceptio. 6. & seqq. Proprietatis homonymia. 9. Panditur sensus, quòd *Jus Proprietatis* hic accipitur. 10. Illius Synonyma. 11. & seqq. Recensentur aliorum definitiones. 17. Ponitur nostra. 18. & seqq. Est libera facultas. 20. Agendi. 21. & seqq. Vel habendi alios obligatos ad agendum vel omitendum. 23. In suum ac privatum commodum. 24. & seqq. Adducitur, & removetur objecto. 26. Describitur *Jus Reale*. 27. & seqq. Describitur *Jus Personale*. 29. & seqq. Utriusque differentia. 31. & seqq. Fundamenta *Hanoldi de Jure mixto* proponuntur. 35. & seqq. Reselluntur. 44. & seqq. *Jus Reale* subdividitur in 4. species. 47. *Jus Personale* non habet species sub se.

§. I.

De Nomine Juris Proprietatis.

- N**omen *Juris* à Justitia delibatum, & homonymum esse, monui simul & explicavi in *Lib. I. tract. de Jure Leg. cap. 1. n. 1. & seqq.* Ex diversis autem illius significationibus ea proposito nostro melius deservit, quæ Jus denotat legitimam facultatem aliquid agendi, obtinendi, impediendi &c. Interim, quia hæc ipsa quoque facultas est multiplex, oportet animadvertere, Jus seu facultatem agendi, obtinendi, impediendi &c. quandoque in altero supponere aliquid vinculum & ligamen, vi cuius, tameti nolit, compelli potest, ut faciat, aut omitat, ad quod facultas illa seu Jus ordinatur; quandoque verò vinculum tale non supponere. In exemplo, qui beneficium alteri contulit, habet Jus seu facultatem agendi & petendi gratitudinem; sed ista facultas non supponit in beneficiario vinculum quoddam, ratione cuius ad antidora seu gratitudinis officium possit efficaciter compelli. Unde etiam obligatio gratitudinis tantum annexum habet debitum improprium, honestatis, & decentiæ; non verò debitum proprium, justitiæ, & rigorosæ obligationis. Econtra, qui dedit alteri 100. florenos mutuos, habet Jus repetendi 100. florenos. quod in mutuario supponit vinculum ac ligamen, ratione cuius etiam invitatus ad solutionem compelli potest. Unde dicitur esse obligatus debitor justitiæ, seu strictè tali.
- 6** *Proprietatis* eadem ferè ratione, sicut Jus, diversis acceptionibus circumfuit. I. enim accipitur pro solo dominio, eoque vel directò tantum & minus pleno, quantenus ab utili separatum est *l. locum 17. §. 2. l. si extraneo 46. in pr. ff. de Usufructu*, vel pleno & perfectò *l. si procurator 13. in pr. ff. de A.R.D.* II. pro qualibet alia specie Juris in re, puta usufructu, possessione, jure eligendi, decimandi &c. per textum in *cap. cum olim 7. de Causa Possess. & propriet. cap. prout nobis 4. de Dolo & Contum. l. qui usufructum 7. ff. Si Usufr. per. l. semper 15. §. 8. ff. Quod vi aut clam. l. Mutius 66. §. pen. ff. de Legat. 2.* III. pro Jure ad rem, in quantum ad nos pertinet, nobisque proprium esse censetur, cujus intuitu habemus Jus ad rem *arg. l. bonorum 49. in fin. ff. de V. S. l. is qui 15. ff. de R. J.*
- In præfenti, quando de *Jure Proprietatis* agimus, intelligimus legitimam agendi vel petendi facultatem, qua supponit ex parte unius proprietatem, qualitercunque acceptam, & ex parte alterius vinculum quoddam morale (*Jus passivum* aliàs dictum) quòd ad faciendum vel omitendum aliquid obstringitur. Hocque sensu nonnunquam vocatur *Jus strictè dictum*, *Jus rigorosum*, *Jus activum*. Quas inter voces non intercedit alia differentia quam vocabulorum, ut pridem notavit Clariss. quondam Facultatis nostræ Collega, D. Gletle p. m. in elaboratissima *Jurisprud. fund. lib. 1. tit. 1. cap. 5. §. 2. num. 2.*

§. II.

De Definitione Juris Proprietatis.

- J**us Proprietatis tam diversimodè definitur, ut rectè dixeris, tot ferè definitiones esse, quot definitores. Molina de *J. & J. 10. l. tr. 2. disp. 1. n. 1.* definit, quòd sit facultas, aliquid obtinendi, aut in eo insistendi, vel ali- quòd modò se habendi, cui si sine legitima causa contraveniatur, injuria fit eam habenti.
- 12** Lessius de *J. & J. hb. 2. cap. 2. dub. 1. n. 2.* definit, quòd sit potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem, vel quasi functionem, cujus violatio injuriam constituit. Cardin. de Lugo de *J. & J. rom. 1. disp. 1. sect. 1. n. 5.* definit, quòd sit prælatio quædam moralis, quæ hic homo præferatur moraliter aliis in usu talis rei propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo.
- 14** Illustriss. D. Reding Theol. Scholast. tom. 1. l. 4. p. 1. art. 3. contr. r. n. 1. definit, quòd sit potestas moralis disponendi de re, sine cuiusquam injuria.
- 15** Haunold de *J. & J. tom. 1. tr. 2. n. 43.* definit, quòd sit facultas habendi alios obligatos in suum commodum, & seclusâ potestate gubernativa aliorum.
- D.** Gletle *d. l. n. 3.* definit, quòd sit potestas liberè alios obligandi ad actionem aliquam vel omissionem actionis, principaliter in commodum nostrum.
- Has & alias definitiones nolim longius examinare, sed ex illis unam, principis nostris propinquorem, efformare, ac dicere lubet, quòd Jus Proprietatis sit libera facultas aliquid agendi, vel habendi alios obligatos ad aliquid agendum vel omitendum, in suum ac privatum commodum.
- Dixi *libera facultas*. Potuissè dicere, *libera potestas* aut *potentia* cum ly *facultas*, *potestas*, aut *potentia* sint synonyma, ac Jus Proprietatis cum aliis Juribus convenire faciant. Tò *libera* verò distinguit Jus Proprietatis principaliter à Jure pietatis, quòd pater filium tenet obstrictum ad opera pietatis & reverentiæ filialis, utpote quòd liberum dici non potest: cum ex libera patris voluntate non pendat, nec possit à patre spontaneâ voluntate remitti; sicuti Jus Proprietatis v. g. quod emptor consequitur ex emptione domûs. Gletle *d. l. num. 4.*
- Dixi *agendi*. Nam plerumque, qui Jus Proprietatis obtinet, potest aliquid agere vel facere, v. g. fructus ex re colligere, rem distrahe-

strahere, aut utilitatem aliam ex illa percipere, veluti patebit ex decurru.

21 Dixi III. vel habendi alios obligatos ad agendum aliquid vel omittendum. Interdum enim accidit, ut, qui gaudet Proprietatis Jure, nil agere possit, alium tamen devinctum sibi teneat, ad aliquid agendum vel omittendum: veluti qui libertatem & exemptionem à solvendis 22decimis aut tributis acquisivit. Nisi fortassis dicere allubescat, Juri Proprietatis semper facultatem agendi connexam esse: eò quòd actionem efficacem (loquendò de Jure Naturali) semper pariat, quã, qui violat Jus Proprietatis, potest autoritate publicã ad satisfactionem compelli. Gletle d. l. n. 1.

23 Dixi IV. in sum ad privatum commodum. Ubi differentialis nota Juris Proprietatis subjicitur, dum nullum Jus aliud præcisè commodum habentis pro fine habet, sicuti patet

tum in potestate Legislativa, quam Legislator in commodum Reipublice tenetur exercere: tum in potestate tutoria vel curatoria, quæ non tutoris aut curatoris compendium, sed pupilli vel minorennis utilitatem respicit.

Dices: qui Sempronio commodat librum 24 hæreticum vel obscenum, eumque, dum advertit periculum seductionis aut corruptionis imminere, repetit, habet obligatum sibi Sempronium ad restitutionem libri in commodum ipsius Sempronii.

Resp. obligationem restituendi principali- 25 ter tendere in commodum commodantis, utpote in cuius libero stat arbitrio, vel in eò librum repetere nec nec: licet motivum repetendi non utilitatem commodantis, sed commodatarii respiciat; id quod merè per accidens est. Vid. Haunold de F. & F. d. r. 2. n. 47.

§. III.

De Divisione Juris Proprietatis.

26 Jus Proprietatis receptissimã apud Theologos & Juristas divisione dissecit in Jus in Re seu Reale, & ad Rem, seu Personales. Jus Proprietatis in Re seu Reale est facultas, quã nobis immediatè subjicitur res, vel persona, rei instar considerata, in ordine ad aliquam actionem in commodum nostrum circa rem 27exercendam. Dixi: vel persona, rei instar considerata: per quam intelligo servum, juxta considerationem Juris Romani, vi cuius non minus servum quàm rem inanimatam liberri- 28mè domino licebat tractare. Haunold cit. l.

28 num. 66. Jus Proprietatis ad Rem seu Personale est facultas, quã nobis immediatè subjicitur persona, in ordine ad aliquam actionem ponendam vel omittendam in commodum nostrum.

29 Jus itaque Reale respicit immediatè Rem, datque facultatem, circa rem quid agendi, veluti si fundus Cornelianus mihi servitutem itineris debeat, habeo Jus in Re: quia Jus itineris respicit immediatè fundum, mihi que dat facultatem quid agendi, seu per fundum eun- 30di. Econtra Jus ad Rem respicit immediatè personam, & tantum mediatè rem: nec tam actionem circa rem tribuit, quàm alteri obligationem imponit ad actionem vel omiffionem actionis; sicuti si domum mihi venderis, & necdum tradideris, non immediatè domus, sed tua persona mihi est devincta ad domum tradendam. D. Gletle p. 1. Pandect. 9. 13. per tot.

31 Divisionem hanc adæquatam non esse, sed mediam ad hoc speciem inveniri, Jus videlicet mixtum, seu partim Reale & partim Personale, docet Haunold cit. tract. 2. num. 67. & omnes, quotquot actiones & judicia mixta communicantur, de quibus in Lib. II. tract. de 32Judic. cap. 1. n. 52. & seqq. Argumenta

33 nus actionis mixtæ, puta finium regendorum, familiæ heriscundæ, communi dividendo, Ergo &c. II. Si fugiat à me servus meus; Stichus, & ego probabilem suspensionem habeam, servum apud te latere, competit mihi Jus agendi contra te, ut à Juce jubearis exhibere hominem, quem detines, ut cognoscere possim, an sit Stichus servus meus; & sic per hanc actionem nondum quidem vindico Stichum, præparo tamen viam ad vindicationem institutendam, postquam cognovero, esse Stichum. Hoc igitur Jus nec est; 34 purè Reale: quia non fundat immediatè rei vindicationem; neque etiam est purè Personale: quia datur actio hæc contra quemcunque, ad quem Stichus pervenerit. Participat ergo de utraque specie: de Jure Reali quidem, quòd inhæreat rei; de Personali verò, quòd immediatè tendat ad exhibendam nobis personam.

Verum, quemadmodum in cit. l. tum judi- 35 cia tum actiones mixtas eliminavimus: ita Jus mixtum ex Reali & Personali recipere non possumus; Sed ad I. argumentum contrarium Resp. negandò minorem: nam actiones finium regendorum, familiæ heriscundæ, & communi dividendo sunt actiones merè personales; uti de prima constat ex l. finium 36 ff. Fin. regund. ubi: finium regendorum actio in personam est, licet pro rei vindicatione est, seu, quod idem est, licet in effectu quoad domini adjudicationem rei vindicationem imitetur: de 37 secunda constat ex l. hac actio 1. §. 1. ff. Famil. herisc. ubi indicatur, in actione familiæ heriscundæ dominium non deduci in controversiam, sed aliunde supponi: de tertia con- 38 stat idiplum ex l. communi 1. l. nihil autem 2. in pr. ff. Communi divid. in quibus locis pariter habetur, in actione communi dividendo non de communi dominio, sed tantum illius divisione disceptari. Ratio est: quia memo- 39 ratæ

ratæ actiones oriuntur immediatè ex quasi- 40 contractu §. item si 3. & seq. Inst. de Obligat. que quasi ex contractu &c. Ergo sunt merè personales: nam ex contractu non oritur aliud Jus, quàm Personale; ex Jure Personali subnascitur obligatio non alia, quàm personalis; ex obligatione personali actio non alia resul- 41tat, quàm Personalis. Ad argumentum II. Resp. negandò, quòd actio ad exhibendum servum pullulet ex Jure mixto, & participet de Jure Reali & Personali: est enim purissimè personalis, quippe cum detur etiam personæ, quæ nullum planè Jus obtinet in re, sed cujus interest ex quacunque causa l. in hac 3. §. 1. 9.

41 10. & 11 ff. ad Exhib. Oritur si quidem ex æquitate naturali, agnitã Jure Civili: cum naturaliter æquum sit, ut, quod mihi prodest, & tibi non nocet, concedatur l. in summa 2. §. 5. ff. de Aqua & Aqua pluv. arc. Lauterbach ad cit. tit. ff. ad Exhibend. §. 6. Sicque personalis est arg. l. obligationes 1. in pr. ff. de O. & A.

42 Quòd autem adversus quemcunque possessorem moveri valeat, non facit, ut actio realis, sed personalis in rem scripta, seu participans aliquam proprietatem actionis realis, appelletur. Textus in cit. l. in hac actio 3. §. 3. ad Exhib. Lauterbach d. l. §. 4. & 5.

Illud argumentum fortassis nonnemini 43 fortius apparere possit, quod petitur ex petitione hæreditatis; ad quod tamen inferius congrua dabitur responsio, quando demonstrabitur, Jus hæreditarium una cum hæreditatis petitione Juribus merè Realibus annumerandum esse.

Jus Reale subdividitur in 4. species, Do- 44 minium, Servitutem Pignus, & Possessionem; quarum graphicam delineationem in seqq. Capit. adornabo; nunc autem tantummodò subdivisionis causam suggero: quia nimirum res omnis, quæ nobis subordnatur, vel respicitur ut nostra, vel ut aliena. Si ut nostra 45 tunc vel est ære nostra, vel putariè tantum, aut presumpitivè. Si prius; conlurgit Dominium: si posterius; resultat Possessio. Si ut 46 aliena; refert, an nobis subjiciatur in utilitatem, vel tantum in securitatem. Si illud; dicitur Servitius: si hoc; Pignus appellabitur.

Jus Personale nullas sub se species compre- 47 hendit, sed unum idemque manet, cuiuscunque & quacunque ex causa acquiratur arg. §. omnium 1. Inst. de Action. Struv. ad Pandect. exercit. 4. §. 62. Frider. Rhet. in dissert. de Jure ad Rem. cap. 1. §. 1. quæ habetur in Dissert. Francosurt. Vol. 5. n. 15.

SECTIO II.

De Præ-Requisitis ad Jus Proprietatis

SUMMARIA.

48 Jus Proprietatis requirit titulum. 49. & seqq. Alius est primævus, alius secundævus. 52. Requirit etiam acceptationem. 53. & seqq. Spectatò Jure Civili. 56. & seqq. Canonico, & 61. & seqq. Naturali. 66. & seqq. Solvuntur opposita. 69. & seqq. Ex actu interno nequis consurgere Jus Proprietatis. 72. &

75. Requirit etiam traditionem. 76. Non quidem quoad Jus Personale. 77. & seqq. Sed plerumque quoad Jus Reale. 82. & seqq. Ponuntur exceptiones. 85. & seqq. Ostenditur, quid sit, & quomodo sufficiat traditio facta.

§. I.

Qualis Titulus ad Jus Proprietatis requiratur?

48 UT Jus Proprietatis acquiratur, prærequiritur comprimens titulus aliquis, qui nihil est aliud, quàm causa legitima, ad conferendum Jus habilis. Nam, ut differit Paulus in l. nunquam 31. ff. de A. R. D. nunquam nulla traditio transferre Dominium (idem obtinet in cæteris speciebus Juris Proprietatis) sed ita, si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit.

49 Hujusmodi Titulus à D. Gletle in laud. Jurisprud. fundam. lib. 1. tit. 1. cap. 5. §. 2. num. 8. duplex statuitur, primævus & secundævus. Primævus est, qui titulum alium non præsupponit; qualis est nativitas, vi cuius homo Jus Proprietatis obtinet, ne lædatur in membris, privetur usu potentiarum vitalium, aut ab humana liberalitatis, amicitie, vel benevolentie subsidio impediatur.

50 Titulus secundævus est, qui præsupponit alium; cuiusmodi sunt omnes tituli, quibus

res, extra nos positas, vel inter vivos, vel mortis causã acquirimus: posteaquam enim à primæva rerum externarum communionem, suadente sic & exigente tranquillitate publicã, recessus est, non potest Jus nobis competere circa rem quandam temporalem, nisi consensu illius, qui & ipse Jus, in nos transferendum, ex legitima causa jam antecesserit haberit: cum illa regula, quòd nemo plus Juris in alium transferre valeat, quàm ipse habuerit, non solum in Legibus positivis, sed etiam in lumine naturali sic fundata.

Id, quod intelligi velim de rebus, quæ al- 51 cius sunt. Etenim res, quæ nullius sunt, verius titulò primævò, quàm secundariò nobis appropriari, patet exinde: quia venatio v. g. non supponit alium titulum, sed se sola est sufficiens, ut Dominium ferè, in naturali libertate existentis, nobis acquiratur.

§. II.

An & qualis Acceptatio requiratur ad Jus Proprietatis?

Secundò ad Jus Proprietatis acquirendum desideratur acceptatio illius, qui Jus Proprietatis ex alterius voluntate acquirit. Nam, licet Titius v. g. dicat, quòd velit vendere, donare, permutare Sempronio; prius tamen, quàm Sempronius acceptet, nec in Titio Jus passivum, seu obligatio vendendi, donandi, permutandi &c. nascitur, nec Jus activum in Sempronio. Idque Jure positivò Civili certum existimo tum propter textum in *l. si cum* 2. §. 6. ff. de Donat. ubi Julianus, sed si quis, inquit, donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, & ante mortuus erat, quàm ad me perferret, non fieri pecuniam Domini mei, constat: quia nempe donatarii acceptatio, vivente donatore, non accessit: tum propter textum in *l. absentis* 10. ff. d. t. ubi Paulus de absentem, si nec sit, ait, rem, qua apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non accepit, donata rei dominus non fit, etiam si per servum ejus, cui donabatur, missa fuerit: tum propter textum in *l. si pollicitus* 1. §. 1. h. si quis 11. & passim ff. de Pollicitat. l. nuda 5. Cod. de Contrab. & committ. stipulat. ubi de pollicitatione, quæ solius offerentis promissionem absque alterius acceptatione requirit, dicitur, eam regulariter non obligare. Concordant textus in *l. qui absentis* 38. in pr. ff. de A. vel A. P. l. multum 6. Cod. Si quis alteri &c. l. nec ambigi 6. Cod. de Donat. Subscribunt Covarruv. in cap. quævis pactum p. 2. §. 4. num. 25. Lessius de J. & F. lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 34. Molina de J. & F. lib. 2. disp. 263. à n. 1.

De Jure Canonico solum promissionem sufficere, nec acceptationem requiri, docuisse videtur Panormitanus, in cap. qualiter 3. de Pat. partem quia S. Pontifex ibidem simpliciter monet, *studiosè agendum esse, ut ea, qua propter mittuntur, opere complerentur*: partim quia in cap. si tibi absentis 17. de Præbend. in 6. absentis & ignorantis tribuitur Jus ad beneficium, ipsi ab Episcopo collatum.

Sed receptissima sententia, cui non nihil favore videtur idem Panormitanus, in cap. cum inter universas 18. de Elect. num. penult. & aperte patrocinantur Covarruv. d. n. 25. Molina d. l. n. 10. P. Engel ad tit. de Pat. n. 3. docet, dispositionem Civilem à Jure Canonico receptam esse: quia nec textus apparet, nec ratio, propter quam utriusque Juris diversa debeat obtinere dispositio. Quòd autem in cit. cap. qualiter 3. de Pat. ea, quæ promittuntur, opere complenda moneantur; vel de promissione jam acceptata debent intelligi; vel de promissione, quæ expressè facta est sine conditione acceptationis, ad mentem d. l. absentis 10. in fin. ff. de Donat. Minus urget d. cap. si absentis: hujus enim explicationem jam dedi in tract. antecedenti 2. cap. 3. num. 152. & seqq. quòd vel collatio beneficii non proprie referatur inter promissiones & donationes; vel quòd permissis sit pollicitationi, quæ, si Reipublicæ vel Ecclesiæ fiat, obligat,

tametsi necdum sit acceptata, Jure positivò acceptationem supplet.

An autem promissio, necdum acceptata, saltem de Jure Nature sit efficax, ac obligationem naturalem pariat? Variant DD. & quibus Molina cit. l. à num. 11. pro affirmativa producit sequentes rationes. I. quòd Jus Civile pollicitationi, Reipublicæ causâ interpositæ, tribuat efficaciam, ex nullâ profectò ratione alta, nisi quia Naturali Jure jam habet obligationem efficacem. II. quòd pactum aut duorum consensus ad substantiam promissionis haud exigatur: eum etiam, quòd tabellionis vel servo alterius promittitur, vim habeat & effectum, antequam ipsemet principalis acceptet. III. quòd gratuita promissio, cum ex mera liberalitate scaturiat, non requirit alterius compensationem vel mutuum obligationem. His tamen non obstantibus,

Sentio cum Covarruv. cit. l. (minus rectè pro contraria sententia citato) Lessio de J. & F. d. l. 2. cap. 18. dub. 6. n. 39. Lugone de J. & F. disp. 23. sect. 3. n. 38 & seqq. Engel cit. l. n. 3. ne quidem Naturali Jure vim promissis, non acceptatis, ad pariendum Jus Proprietatis constare. Ratio principalis est, quia non potest Jus Proprietatis, quod pendet ex alterius voluntate, consurgere, nisi duæ voluntates concurrant in unam, & ex una parte resurteret Jus activum, ex altera parte Jus passivum: siquidem Jus Proprietatis alterius voluntatem pro mensura respicit, & nemo plus juris habet, quàm habere velit. Atqui non possunt duæ voluntates in unam concurrere, nisi unus promittat, & alter acceptet. Ergo &c. Hinc dicimus, promissiones esse respectivas, ac conditionem tacitam continere, si pars altera, cujus favorem respiciat, acceptaverit, aut consenserit.

Nec premunt opposita. Nam quòd Jus Civile det effectum pollicitationi, inferri potius, pollicitationi suapte natura nullum effectum competere: quippe cum alioquin, assistentiâ Juris positivi non habuisset opus. Quòd II. opponitur de promissione, tabellionis vel servo (si mandatò principalis careant) intimatâ, repugnat *l. absentis* 10. ff. de Donat. Quòd III. objectum fuit de liberalitate, verum est, eam non requirere alterius compensationem vel mutuum obligationem: quia, tamen invito beneficium non confertur; idèò donans & gratuitò promittens obligationem subire velle non censetur, antequam alter acceptet, nisi contrarium aperte manifestet arg. cit. l. absentis in fin.

Deduces ex dictis contra Molinam de J. & F. d. tract. 2. disp. 266. ex actu merè interno Jus Proprietatis acquiri non posse. Nam sine acceptatione non consurgit Jus Proprietatis. Sed ex actu merè interno non consurgit acceptatio: utpote cum interna promissio

nequeat alteri, cujus acceptatio requiritur, innotescere. Accedit, quòd Jus Proprietatis, ex dispositione privata subortum, nequeat plus operari, quàm Jus Legale, proveniens ex ordinatione Potestatis publicæ. Atqui Jus Legale non habet vigorem, antequam modò sensibili manifestetur. Ergo nec Jus Proprietatis. Denique cum actus internus in ordine ad commercium humanum, quòd principaliter attenditur in Jure Proprietatis, iræstimatione moralis non consideretur, sed procedat illud brocardicon: verbum, in mente retentum, nihil operatur ad extra, nihil ad Jus Proprietatis conducit. Lessius de J. & F. cit. cap. 18. dub. 5. per tot. Gletle 1. p. Pandect. q. 17. per tot.

Dices: adum internum posse sub legem eadere: adeoque etiam in commercium hu-

manum venire, ac Jus Proprietatis inducere. Resp. à nobis admittum esse antèced. in Lib. I. tract. de Jure leg. cap. 1. à num. 11 p. si loquamur de Jure Canonico; consequentiam verò præfractè negari. Disparitas redditur: tum quia actus internus, quatenus substat Legi, ex parte modi præcipiendi fit sensibilis per promulgationem; quòd non accidit in actu interno, quatenus substat Juri Proprietatis: tum quia Jus Proprietatis, cum principaliter ordinatur ad commercium humanum, actus internus, seu nihil aut parum ad id conferentes, dedignatur; cum tamen Jus Legale, per SS. Canones statutum, principaliter attendat salutem & beatitudinem supernaturalem, ad quam actus internus principaliter conducit.

§. III.

An & quomòdò requiratur traditio vel apprehensio ad acquirendum Jus Proprietatis?

Tertio ad Jus Proprietatis acquirendum exigitur traditio, si res, cujus Proprietatem desideramus, sit alterius; vel saltem apprehensio, si res nullius sit. Sed hoc distinctionem recipit. Nam Jus Proprietatis ad Rem potest acquiri sine traditione. Oritur siquidem ex obligatione; quin imò est ipsa obligatio, prout desumitur ex pr. Instit. de Obligat. l. obligationum 3. in pr. ff. de O. & A. Rhetius in dissertat. de Jure ad Rem cap. 1. §. 4. Sed obligatio potest consistere, si duo vel plures in idem placitum, citra traditionem, consentiant §. idèò autem 1. Inst. de Obligat. ex cons. l. hujus 1. §. 2. ff. de Pat. l. consensu 2. §. 1. ff. de O. & A. Ergo &c.

Jus Proprietatis in Re plerumque requirit traditionem vel apprehensionem; veram aut fictam. Et quidem, ut incipiamus à Possessione, vix dubium esse potest, quin illa, cum aliter, quàm animo simul & corpore, seu factò & apprehensione, acquiri nequeat *l. possideri autem* 3. §. 1. ff. de A. & A. P. eò quòd animus possidendi sine apprehensione nihil operetur in rerum natura arg. dictorum à num. 69. desideret traditionem aut apprehensionem.

De Servitute pariter res liquida videtur, utpote quæ ad sui acquisitionem desiderat unius usum & alterius patientiam, vicem traditionis habentem *l. fingo* 11. §. 1. ff. de Publiciana in rem act. l. omnium 3. in pr. ff. de Usufr. l. ult. ff. de Servitut. l. Servitutis 1. §. 2. ff. de Servit. prad. 75. ff. de Pignorat. De Pignore quidem traditur in *l. pignus* 1. in pr. ff. de Pignorat. act. l. contrahitur 4. ff. de Pignor. illud constitui nudâ conventionione; sed hoc speciale, ac traditio per Legis provisionem suppleta est, vel ut debitor citius possit securos reddere creditores; vel ut debitoribus, res suas oppignorantibus, ob carentiam possessionis, per traditionem in alium transferendæ, minus præjudicii fiat.

De Dominio est textus meridians in *l. traditionibus* 20. Cod. de Pat. l. quoribus 15. Cod. de P. SCHMIEER JURISPR. CAN. CIV. TOM. II.

R. V. l. qui tibi 6. Cod. de Hered. vel act. vend. illud in alterum, seclusâ traditione, non transfire: quoniam originem habet à Possessione *l. possessio* 1. §. 1. ff. de A. vel A. P. nec sine Possessione comparatur arg. *l. cum res* 12. Cod. de Probat. l. qui prædium 13. Cod. de Distract. pignor. Harpprecht ad pr. Inst. de R. D. n. 14. & seq.

Scio, aliud à Grotio de Jure Belli & Pac. lib. 2. cap. 8. §. 25. & Puffendorff de Jure Nat. & Gent. lib. 4. cap. 9. §. 6. doceri, quòd nempe Dominium solis etiam pactio nibus transferri queat. Sed, quia non afferunt solidum opinionis suæ fundamentum; ac, ut dictum, primæva Domini acquiritio, quando res adhuc communes erant, incipit à Possessione, quæ factum hominis desiderat; Leges quoque positivæ, juxta citatos textus, Dominium ordinariè non conferunt, absque traditione: firmiter teneo, solis pactio nibus Domini regulariter non transferri.

Dixi regulariter. Excipiuntur enim I. hereditas & legatum, quorum Dominium in hæredem vel legatarium transferri, priusquam in possessionem vel apprehensionem rerum hereditariarum aut legatarum venerint constat ex *l. fager* 50. §. 1. ff. de R. V. l. hæres 37. ff. de Acq. vel omitt. hæred. l. legatum 80. ff. de Legat. 2. l. à Titio 64. ff. de Furti. Sed de hoc in tract. 3. II. excipiuntur Ecclesiæ, Monasteria, & alia pia loca, quibus non tantum res, in ultima voluntate relicte, sed etiam donatæ, venditæ, vel quolibet actu inter vivos destinatæ, citra traditionem acquiruntur *l. ut inter* 23. in pr. & §. 1. Cod. de SS. Eccles. P. Engel de Privileg. Monaster. Privileg. 25. III. excipitur Dominium, quòd aliquis obtinet in iuribus aliis, puta in obligatione personali, cujus creditor efficitur Dominus, ac de illa liberè potest disponere, statim atque obligatio est contracta: eò quòd instar proprietatis Dominium ex tali obligatione relictæ. Gletle in cit. supra Jurispr. fund. lib. 1. tit. 1. cap. 5. §. 2. n. 7. Dixi

87 Dixi supra in n. 77. traditionem veram aut fideam. Traditio vera est, quando res verè ac physicè de manu ad manum traditur, aut aliò signò sensibili immediate capitur, vel secundum se totam, vel secundum partem l. posside-
87 r 3. §. 1. ff. de A. vel A. P. Traditio fidei est, quando intervenit actus, qui ex dispositione Juris vim habet traditionis aut apprehensionis; qualis est l. traditio clavium, annuli, aliteriusve symboli l. clavibus 74. ff. de Contrab.
87 empt. II. traditio instrumenti, continenti- titulum seu Jus possidendi l. exemptionem 1.
88 Cod. de Donat. III. traditio brevis manus, quà res, jam antehac, alienò tamen nomine & improprie possessa, possessori venditur, donatur, aut in solutum ceditur, d. l. possideri 3.
89 §. 20. ff. de A. vel A. P. IV. traditio longè manús, seu ostensio rei, aliquò intervallò

distantis l. possessio 1. §. 21. l. quod meo 18. §. 2. ff. d. 1. V. appositio custodiæ ad rem quo venditam, donatam, permutatam &c. l. quorundam 51. ff. eod. VI. signatio rei, justò titulo mihi jam destinata l. quodsi 14. §. 1. ff. de Peric. & commodo rei vend. VII. confituum, seu clausula constituti, quà quis alterius nomine rem se possidere constituit, veluti si venditor dicat, se emptoris nomine & vice rem venditam deinceps possidere velle d. l. quod meo 18. in pr. l. qui bona 19. §. 1. ff. de A. vel A. P. Sufficit igitur ad Dominium, aliudve Jus Reale traditio ficta; eòque sensu capienda est assertio Cuius in l. quà ratione 9. §. 2. ff. de A. R. D. dum dixit: interdum etiam sine traditione nuda voluntas Domini sufficit ad rem transferendam. Sufficit nimirum, quando traditioni verè substituitur ficta.

SECTIO III.
De Effectu Juris Proprietatis.

SUMMARI A.

94. Indicantur effectus Juris Proprietatis, inter quos est obligatio, quã tatori gravantur, ne ponant impedimentum. 95. Item obligatio restituendi vel satisfaciendi. 96. Nec non efficacia agendi. 97. Quã tamen à Jure positivo nonnunquam admittitur. 98. & seqq. Explicatur diversitas obligationis Naturalis, Civilis, & Mixta. 101. Obligationis Naturalis singulares effectus. 102. Singularis effectus Juris Proprietatis Realis. 103. & seqq. Quò referatur Actio

Realis, cujus varia sunt descriptiones. III. & seqq. Ponitur & declaratur nostra descriptio. 114. Singularis effectus Juris Proprietatis Personalis. 115. Illius descriptio. 116. & seqq. Impugnatur à Bachovio. 119. & seqq. Vindicatur. 121. Ponitur alia descriptio. 122. & seqq. Aliqua actiones Personales dantur contra tertium possessorem. 126. Vocantur in rem scripta. 127. & seqq. Dicuntur conditionales. 129. & seqq. Subinde nascuntur ex acquisitione.

§. I.

Quis Effectus Juri Proprietatis sit communis?

94 Effectus Juris Proprietatis alius est utriusque speciei, nempe Juri Reali & Personali communis; alius singularis. Ad effectum communem pertinet I. obligatio, quam subeunt omnes, ne quem, Jure Proprietatis instructum, in usu ejusdem Juris impediatur: nec enim quidquam prodesset Jus Proprietatis, si liberum esset aliis, usum hujusmodi Juris intercipere posse.
95 II. obligatio restituendi seu satisfaciendi ex parte illius, qui Jus Proprietatis violavit: fundat namque Jus Proprietatis justitiam commutativam, cujus violatio dat locum injuriæ, & parit obligationem restitutionis aut satisfactionis, ut dictum in trakt. præamb. cap. 2. n. 89. Hæcque obligatio, ut discit D. Gletle in cit. Jurisprud. fund. n. 14. ad felicitatem humanæ societatis omnino fuit necessaria. Si enim nuda poenitentia tolleretur obligatio, ex injusta læsione profecta, furtis & injuriis innumeris recluderetur janua, ac omne commercium humanum dissolveretur.
96 III. efficacia agendi in Judicio: cum enim justitiam non omnes ultroneè colant, nec suum cuique Jus sponte reddant, sed sæpe turbulenti & inordinati affectibus in transversum acti Jus alterius invadere non verean-

tur: efficacia agendi requirebatur, quã Judex competens adiri, & ejus autoritate id, quod debitum & justum est, obtineri possit. In-97 terim Jus positivum quandòque Juri Proprietatis hanc efficaciam admittit, & relicta obligatione restituendi in foro conscientie, licium amputandam ergo, negat in foro externò actionem, sicut exemplum habetur in pacto nudo, de quo sub loco.
Et hinc provenit, quòd Jurisperiti obligati-98 onem dividant in naturalem, civilem, & mixtam. Naturalis est, quæ solummodò vinculum & necessitatem præstandi, quod debetur, inducit in foro conscientie. Civilis est, quæ vinculum & necessitatem præstandi, quod debetur, tantum in foro externo producit. Mixta est, quæ vinculum & necessitatem præstandi, quod debetur, in utroque foro generat. Ipsa nihilominus obligatio naturalis, tametsi sit sola, non omni penitus effectu destituitur in foro fori. Nam imperator dicit. conditionem indebiti l. naturales 10. ff. de O. & A. II admittit pignus l. res hypotheca §. in pr. ff. de Pignor. & Hypoth. III. recipit fidejussorem l. fidejussor 16. §. 3. ff. de Fidejussor. IV. compensationem sustinet l. etiam 6. ff. de Compensat. V. novationem fun-

fundat l. novatio 1. §. 1. ff. de Novat. VI. in constitutum rectè deductur l. hoc editio 1. §. 7.

§. II.

Qualem effectum habeat singularem Jus Proprietatis Reale?

102 Jus Proprietatis Reale hunc singularem habet effectum, quòd afficiat passivè rem ipsam, eamque immediatè subjiciat illi, qui Jus Proprietatis obtinet, in ordine ad aliquam dispositionem, quam circa rem in utilitatem suam exercere potest. Indèque consequitur alter effectus, seu Actio Realis, alias vindictio vel petitio dicta l. actionum 25. in pr. ff. de O. & A. l. pecunia 82. §. 2. ff. de V. S. quam aliqui describunt cum P. Krimer (à quo non ablutit Harprecht ad §. omnium 1. Inst. de Act. num. 5.) in Quæst. Theol. de F. & J. q. 2. n. 39.
104 quã quis petit rem ut suam. Sed quia rem ut suam petere valet solus Dominus; is autem, qui Dominus non est, & tamen Jus Reale v. g. Servitutem aut pignus obrinet in re, non potest rem ut suam petere: quippe cum res sua nec Pignus nec Servitutem ferat l. quidquid 10. ff. Commun. prad. l. neque pignus 45. in pr. ff. de R. F. idè præfata descriptio nequit Actioni Reali in genere, sed rei vindicationi tantum adaptari. Nec facit, quòd, qui Servitutem præterdit, illam ut suam præterdat: aliud siquidem est, rem, ut suam, petere; aliud Servitutem, ut suam, in re aliena querere. Nam & ille, qui solum habet actionem personalem, petit Jus suum, nec tamen rem, ut suam, petere dicitur.
106 Nonnulli, à quibus non diffident Zoësius ad tit. ff. de O. & A. n. 59. & Rhetius cit. differt. de Jure ad Rem cap. 7. §. 2. & 3. Actionis Realis proprium esse volunt, quòd per eam peramus rem nostram, ab alio possessam, restitui. Sed in paropulo est, multas inveniri actiones personales, v. g. actionem commodatam vel depositam, sicque ab alio possessam, restitui petimus. Unde non video, quã ratione Actioni Reali tribuatur ut proprium, quòd tendat ad rei propriæ restitutionem.
107 Multi, qui Schneidewinum ad §. omnium 1. Inst. de Act. n. 8. & 15. & Hahnium, à nobis in Lib. II. tr. de Judic. cap. 1. n. 50. relatum, se-

quantur, definiunt Actionem Realem, quæ datur contra quemcumque rei possessorem. Verùm cit. loc. jam ostendimus, hanc definitionem nec soli definitio singularem, nec omni definito communem esse. Non primum: nam dantur Actiones Personales, in rem scriptæ, de quibus in §. seq. quæ competunt adversus quemcumque rei debitor possessorem. Non secundum: quia petitio hæreditatis, non quem censemus purissimè realem, non datur contra quemcumque hæreditatis possessorem, sed illum duntaxat, qui pro hærede vel possessore possidet l. regulariter 9. & seqq. ff. l. si post mortem 2. l. hæreditatis 7. Cod. de Petis. hæred. Unde naturalè, non essentialè, seu, quòd Ju-110 reperitis idem est, ordinarium ac regulare, non perpetuum & substantiale credo, quòd Actio Realis contra quemcumque rei possessorem moveri valet.

Si itaque velimus accuratius Actionem Realem exprimere, dicere possumus, quòd sit Jus persequendi rem, velut passivè nobis & immediatè subjctam, in commodum nostrum. Quã ratione non est arduum, ostendere, quomòdò Actio Realis comprehendat omnes species, & simul ab actione personali, tanquam opposita specie, distinguatur. Etenim in rei vindicatione, sicut & in petitione hæreditatis, persequimur rem, passivè nobis & immediatè subjctam, utpote nostram. In actionibus possessoriis persequimur rem, velut passivè nobis & immediatè subjctam, utpote putativè vel præsumptivè nostram. In actione confessoria & negatoria persequimur fundum, seu passivè nobis ad percipiendam aliquam utilitatem subjctam. In actione hypothecaria persequimur rem, passivè nobis in ordine ad securitatem devinctam. Ex adverso in actione personali, v. g. commo-113 dati, depositi, pignoraticia &c. quã etiam rem nostram petimus, non petimus illam, cui passivè nobis & immediatè subjctam, sed tanquam nobis ex præcedente pacto v. g. debitam.

§. III.

Qualem effectum habeat singularem Jus Proprietatis Personale?

114 Jus Proprietatis Personale hunc singularem habet effectum, quòd afficiat passivè & immediatè personam, eamque devinciat ad aliquod dandum, præstandum, faciendum, aut omitendum in commodum nostrum.
115 Indèque descendit alter effectus, seu Actio Personalis, cujus naturam describit Imperator Justinianus in §. omnium 1. Inst. de Act. quòd actor per eam intendat, Adversarium ei dare aut facere oportere; seu, ut interpretatur Harprecht ad cit. §. n. 3. quã quis agit cum eo, qui sibi obligatus est ex contractu vel quasi, vel ex delicto seu maleficio, ad hoc, ut det aliquid vel faciat. Sed Bachovius in Comm-116 mentar. ad eund. §. num. 7. & seqq. advertit, ly dare & facere non omnibus Actionibus Personalibus convenire: nam dare est idem, ac dominium transferre l. ubi autem 75. §. ult. ff. de V. O. facere autem est factum ponere, seu actionem aliquam in gratiam alterius exercere,

Quæ 2 v. g.

- v. g. ire Viennam, pingere tabulam, effodere terram &c. l. stipulationes 72. in princ. ff. eod.
- 117 Atqui dum agitur ex deposito, commodato, contractu pignoris, nec agitur ad dandum: cum depositarius, commodatarius, & creditor pignoratitius non sint domini rerum, de quibus conveniuntur; nec etiam agitur proprie ad faciendum, sed potius ad restituendum.
- 118 Ergo &c. Putat igitur Bachovius, recitata verba dare & facere à Justiniano tantum exempli gratia fuisse posita, eaque suppleri debere ex subsequentibus verbis, & aliis quibusdam modis &c. ut sensus sit, quod Actionibus Personalibus non tantum dare vel facere intendamus, sed etiam aliter & aliis agendi modis utamur, & experiamur. Sed, quidquid fit de ultimis hęc particulis, & aliis quibusdam modis, quas de causis, non de formulis Actionum Personalium, exaudiendas esse, permulti docent arg. l. obligationes 1. in pr. ff. de O. & A. non sine fundamento sustineri potest, descriptionem Imperatoris adæquatam esse, ac, sicut sub ly facere non tantum veniunt facta simplicia, quæ in nudis facti terminis consistunt, sed etiam pręgnantia, quibus res aliqua traditur l. in conventionalibus 52. §. un. d. l. stipulationes 72. in fin. princ. l. ubi autem 75. §. 7. ff. de V. O. sic etiam venire possunt facta, quibus res debita redditur aut restituitur, per expressum textum in l. faciendi 175. ff. de V. S.
- 120 Et sicut alias sub facto continentur non-facta, seu omissiones, parique Jure censentur arg. cit. l. ubi autem 75. §. 7. ff. de V. O. ita quoque sub ly facere in descriptione Imperatoria continebitur ly omittere.
- 121 Potest itaque clarior & generalior describi Actio Personalis, quod sit jus persequendi, seu exigendi positionem vel omissionem illius rei vel actus, ad quam alter in commodum nostrum est obligatus. Et quia hæc obligatio personam afficit, consequitur, quod Actio Personalis contra personam aliam, ac, quæ nobis est obligata, vel per contractum vel quasi, vel per delictum, vel quasi-ejusve hæredes suapte naturæ non extendatur l. actionum 25. in fine pr. ff. l. penult. Cod. de O. & A.
- 122 Dixi suapte naturæ. Nam ex accidenti, & speciali Juris dispositione quædam Actiones Personales porriguntur adversus omnes, qui rei, super qua mediatè agitur, exhibendæ vel restituendæ facultatem habent.
- Talis est l. actio quod metus causâ, quâ, licet personalis sit, rem metu extortam non tantum ab extortente, sed etiam à quovis possessore repetere possumus l. metum au-tem 9. §. 8. ff. Quod metus causâ &c.
- 123 Actio quadrupedaria, quæ personalis quidem est: utpote cum oriatur probabiliter ex quasi-delicto; & tamen contra omnes, qui animal, quod pauperem fecit, id est, damnum contra naturam generis intulit, jure domini possidentis contestata tempore, competit, l. si quadrupes 1. §. 12. ff. Si quadrupes paup.
- 124 Actio noxalis, quæ ex delicto servi convenitur dominis, vel possessori, non qui talis est, quan-

do deliquit servus, sed qui tunc est, quando instituitur actio l. bona fide 11. cum seq. l. si servus 22. §. 1. ff. de Noxal. Act. IV. Actio 125 ad exhibendum, quæ is, cujus interest, rem exhiberi, agit adversus quemcumque possessorem, qui rei exhibendæ facultatem habet l. in hac 3. §. ult. l. nam 4. l. Celsus 5. in princ. & §. ult. ff. ad Exhibend. Vocantur alias hujus generis Actiones in Rem scriptæ, non quod mixturam habeant ex Actione Reali & Personalis, sed quod participant aliquod de proprietate seu regulari natura Actionis Realis, ac dirigantur in rem ipsam, eamque à quovis possessore repetant.

Atque hæc actio Personalis quandoque simpliciter venit in Jure Actionis nomine l. pecunia 178. §. 2. ff. de V. S. interdum vocatur Condictio §. appellamus 15. Inst. de Act. l. actio-num 25. in pr. ff. de O. & A. l. si doceas 1. Cod. de Donat. Quæ sub modo, vel conditione &c. Licet 128 alias, si strictiori modo loquamur, per Condi-tionem intelligantur illæ duntaxat: Actiones Personales, quæ dantur non-domino contra dominum l. ult. ff. Usufructuar. quemadmod. cav.

Porro Actio Personalis non est ita propria & connata Juri Personali, quin etiam ex alia radice, naturali scilicet æquitate, à Legibus agnita, & ad agendum singulariter elevatâ, pronascatur. Sic enim l. actio ad exhibendum, de qua in num. 41. & in num. 125. est Actio Personalis, quæ non tantum competit ob-præcedens Jus Proprietatis, Reale vel Personale, sed etiam ob quodcumque interesse, quoties nimirum alicujus interest, rem, ab alio posses-sam, exhiberi, ut actor in illius notitiam de-venire possit: æquitate naturali sic dicente, ut, quod alteri seu possessori non nocet. & ac-tori prodest, efficiatur per l. in summa 2. §. 5. ff. de aqua & aqua pluvi. Stryck in tract. de Action. forens. tit. 1. membr. 2. §. 39. Ubi doctissimè 130 demonstrat, actionem ad exhibendum non oriri ex delicto: licet enim sit arbitraria, ac eum, qui contumaciter rem exhibere detre-ctat, in gravius condemnari faciat; attam-ten ex hac causa non nascitur, sed causa alia, speciale nempe commodum, exhibitione rei sperandum, ad æquitatem naturæ fundandam antecedit, opus est.

II. actio ex l. si & me & Titium 32. ff. de R. C. 131 est Actio Personalis, nec tamen ex præcedenti Jure Personali vel obligatione descendit, sed magis ex æquitate naturali: si enim Mævius à me petat mutuas pecunias, & ego eundem mittam ad debitorem meum Sempronium, ut ille petit pecunias numeret; factâ nume-ratione, non habeo Jus agendi contra Mævium ex contractu mutui: utpote cum quo mutuum, quod numeratione perficitur, ego non contraxi; sed quia æquum est, ut mea pecunia, ad alium delata, redeat ad meum patrimonium, actio in d. conceditur. Stryck cit. l. §. 44. & seqq.

III. sunt quamplurima interdicta persona- lia, quæ non fluunt ex alio jure, quam natu- rali,

rali, præfertim illa, per quæ vis fieri prohibe- tur, quando quis in re sua vel publica com- modum promovere cupit, & ab altero, cui nullum imminet incommodum, impeditur; 133 quale est interdictum, ne vis fiat ei, qui in via publica ire vel agere vult l. prator ait 2. §. ult. ff. Ne quid in loco publ. interdictum ne vis ei fiat, qui reficere vult viam publicam & face- re meliorem l. adiles 1. in pr. ff. de Via publ. in-

terdictum ne vis fiat ei, qui reficere intendit iter privatum l. inde etiam 3. §. 11. ff. de itin. attinge p. rrv. interdictum ne vis fiat ei, qui cloacam reficere cogitat l. prator ait 1. in pr. ff. de Cloacis. Stryck cit. l. §. 41. Quam-134 quàm in similiis eventibus factum alterius improbum plerumque concurrat, & saltem Jus aliquod, ex titulo primogenio nobis juxta n. 49. competens, minuatur, aut infringatur.

CAPUT II.

De Dominio in Communi.

Considerato Jure Proprietatis in genere, subjiciuntur illius species, inter quas præcellit Dominium; quod, cum amplissimè pateat, ac rursus varias sub se species complectatur, operæ pretium est, ut prius in præl. cap. in communi discutatur.

SECTIO I.

De Natura & Divisione Domini.

SUMMARIA.

1. Etymologia Domini. 2. & seqq. Homonymia. 8. & seqq. Variæ definitiones. 12. & seqq. Illarum impugnationes. 16. Nostra definitio. 17. Est Jus seu potestas. 18. & seqq. Immediatè de re. 20. Nomine proprio. 21. Disponendi. 22. & seqq. Per Actiones, Lege permissas. 26. & seqq. Dividitur Dominium in Plenum & minus Plenum. 29. Hocque subdividitur in directum & utile. 30. & seqq. Im-

pugnatur, & defenditur hac subdivisio. 35. & seqq. Usufructus male revocatur ad species Domini utilis. 39. & seqq. Vel ad Dominium imperfectum. 41. & seqq. Dividitur ulterius Dominium in Universale & Particulare. 47. In Verum & Fictum. 48. Naturale & Civile. 49. Revocabile & Irrevocabile. 50. Civile & Prætorium. 51. & seqq. Quiritarium & Bonitarium.

§. I.

Etymologia Domini.

- 1 Dominium à domo denominatum, & do- minum per derivationem appellatum esse, qui domui præest, totique familiæ domi- natur, colligitur ex l. pronuntiatio 195. §. 2. ff. pater autem ff. de V. S. & docet cum alius Harprecht ad pr. Inst. de R. D. n. 27. quia videlicet olim Dominia domus ac habitationis proprie finibus sunt conclusa.
- 2 Accipitur quandoque largius, & ipsa Juris- dictio Domini nomine effertur arg. l. 9. ff. ad l. Rhod. de Faltu: quatenus nempe Dominium dicit Jus gubernandi vel disponendi de re & persona, & genus est ad Dominium Juris- dictionem & Proprietatis, uti notatum in Lib. I. tract. de Jurisdic. cap. 1. n. 23.
- 3 Sed, quia impræsentiarum agimus de Jure Proprietatis, nihil cum Dominio Jurisdictionis commune, sed omnia cum Dominio Proprietatis habe- mus singularia; quod tamen itidem subinde

latius capitur, ut alias quoque Juris Realis species contineat per l. de servitutibus 2. §. 1. ff. Si servus, vind. l. per hoc 4. in princ. ff. Communi divid. Clariss. D. Joann. Balthasar Braun. p. m. in nobilissimo tract. de Dom. cap. 1. §. 3. num. 2. Subinde capitur strictius, ut denotet Do- minium Proprietatis, quatenus à cæteris speciebus Juris Realis distinguitur l. qui bona 13. §. 1. l. eorum 19. in pr. ff. de Damno infello &c. Hæc- que strictior acceptio nobis est acceptior, quando de Dominio, prout singularem Juris in Re speciem constituit, modo tractamus, germanicè Eigenthumb/ eigenthumbliche Gec- rechtigkeit. Lauterbach ad tit. ff. de A. R. D. §. 2. in fin. Et in hac acceptance quandoque 7 simpliciter vocatur proprietatis, velut advertimus in cap. 1. n. 6. monstrant textus in §. in-terdum 44. Inst. de R. D. l. quæ ratione 9. §. 6. & 7. ff. de A. R. D. & magis per decursum elucescet.